

**De rariori et singulari animalium quorundam vertebratorum habitu,
anomalum interdum vel luxuriantem naturae formatricis typum arguente :
prolusio academica, qua die XI Maji natalicia Joannis Friderici Blumenbach
... pia grataque mente celebrat / Fridericus Sigismundus Leuckart.**

Contributors

Leuckart, F. S. 1794-1843.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Heidelbergae : Apud Augustum Osswald, 1832.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/x9u5rw8y>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

9
DE

RARIORI ET SINGULARI ANIMALIUM QUORUNDAM VERTEBRATORUM HABITU, ANOMALUM INTERDUM VEL LUXURIANTEM NATURAE FORMATRICIS TYPUM ARGUENTE.

PROLUSIO ACADEMICA,

QUA

DIE XI MAJIS NATALICIA

JOANNIS FRIDERICI BLUMENBACH

SENIS VENERABILIS OCTOGENARII,

PRAECEPTORIS CARISSIMI, MAXIME AESTIMANDI PIEQUE COLENDI, VIRI ILLUSTRISSIMI, EXCELLENTISSIMI, NATURAE SCRUTATORIS PER ORBEM TERRARUM CELEBERRIMI,

PIA GRATAQUE MENTE CELEBRAT

FRIDERICUS SIGISMUNDUS LEUCKART.

Natura doceri.

HEIDELBERGAE

APUD AUGUSTUM OSSWALD.

MDCCCXXII.

*Quis est nostrum liberaliter educatus, cui non magistri sui atque doctores
cum grata recordatione in mente versentur.*

CICERO pro Plancio. c. 33.

*Non ad unam natura formam
opus suum praestat, sed in ipsa
varietate se jactat.*

SENECA.

Multorum animalium formae proprietate quadam oculos hominum in se convertunt: quaerimus significationem earum, animusque noster iis excutiendis intentus diutius occupatur. — Neque vero animalia tantum, quae invertebrata dicuntur, magnam talium specierum singulari, anomala saepe et propemodum monstrosa, ut videtur, forma insignium, copiam ostendunt, verum etiam vertebrata animalia; e quibus ipsis jam nonnulla hujus generis exempla eligenda censuimus. Ceterum re vera est difficile, certos constituere fines formarum singularium ac peculiarium in animalia cadentium et earum, quas vulgares dicimus, praesertim si formarum ipsarum observationi nostrae oblatarum frequentiam respiciamus; quum genitricis naturae vis cuivis fere animali habitum, qui magis minusve attentionem nostram moveat, tribuerit. Nonnulla autem animalia prae ceteris distinxit, vel totum ejus corpus vel partem modo singulari et qui a vulgari recedat, formans. Nam si v. g. ad Squalorum familiam attendamus, eos plerumque forma piscium regulari atque usitata praeditos invenimus; inter eos autem eminet

Zygaena admirabilis, cujus caput tantum non anomalis et monstrosis annumerandum non sine stupore consideramus. Omnibus nota est Ranarum forma et vitae genus consuetum. Huc potissimum pertinent Rana cornuta et Pipa, quippe quae peculiaritatibus quibusdam maxime a ceteris differant. Plura similis generis exempla in hac commutatiuncula afferamus, paucis quibusdam annotationibus de significatione talium peculiaritatum insolitarum adjectis, quum saepius nihil de iis dicere licuerit. Accedit, quod ne prolixiores justo in hac dissertatione essemus, brevitati studendum fuit. Ac facile fieri potuit, ut hoc illudve animal addere aliudque etiam omittere possemus. Sed volumus hanc scriptionem prodromum majoris libri haberi, ubi de formae animalium varietate, quae esse potest, in universum et de proprietatibus ejus magis minusve manifestis, vel regulam sequentibus vel ab ea recedentibus, per omnes animalium classes ductis, prolixius agemus. Quocirca enixe rogamus lectores, ut hujus consilii nostri ratione habita, de hac ipsa prolusione minus severe judicent.

LEUCKART.

Zu den allerinteressantesten Gegenständen für philosophisches Studium der Zoologie, gehören Zweifels ohne die ganz anomalisch-sonderbaren Organe und deren Functionen, die blos gewissen einzelnen Geschlechtern oder Gattungen von Thieren, einzig und ausschliesslich eigen sind.

BLUMENBACH, Abbildung. naturhistor. Gegenstände. Heft. 8. No. 78.

De singularibus nonnullis, insolitis et ad anomalas interdum formas fere accedentibus inter Vertebrata animalibus mentionem faciens, necesse est, plane silentio praetermittam in hac commentatiuncula mirabiles talium animalium formas, quibus mythologia antiquissimorum populorum, non solum Aegyptiorum, sed etiam Asiaticorum, Persarum, Indorum, ipsorum Hebraeorum repleta est; quae vel deorum loco sacrosancte colebantur, vel tanquam dii ipsi et metus et observantiae causa non raro adorabantur et implorabantur, vel sensu adhibebantur symbolico, de quibus v. g. in HERODOTI, DIODORI SICULI, JAMBLICHI, PLINII, AELIANI, CTESIAE, AGATHARCHIDIS scriptis, atque etiam in libris Hebraeorum apocryphis et in Apocalypsi, in celeberrimorum KAEMPFERI, NIEBUHRI, CHARDINI, LEBRUNI, multorum aliorum itinerariis et operibus multa traduntur. — Tacebo de istis bestiis, quas imaginandi vis et superstitio aetatis illius fabulis plenae sibi creavit, de hominibus v. c. Cynocephalis et Centauris, de Minotauro, de Sphingibus, de Harpyiis, de Pegaso et Equis marinis, de Phoenice et Gryphis, de ave illa cornibus hircinis, quae

Tragopan vocabatur, de Hydris et Draconibus veterum, multisque aliis: neque quidquam dicam de illis animalibus, quae vel medio aevo a naturae scrutatoribus, tam e veterum scriptis accepta et credita, quam peregrinatorum ex imaginatione nimia vel fraude crudelitateque aequae atque inscitiae hominum, quamvis plane fictitia, in libris physicis recepta sunt et descripta, qualia, omissis jam nominatis, praesertim marina, quae fabulabantur, monstra, Monachi marini, Episcopi marini, alia, de quibus in ISIDORI DE SEVILLA, ALBERTI MAGNI, ALDROVANDI, CONRADI GESNERI, PAREI, multorum aliorum scriptis multa legi possunt. Quis etiam credat, LINNAEI adeo temporibus similia animalia fictitia singulari modo composita in Museis etiam obvia fuisse? Immortalis LINNAEI tantum, summi hujus omnium temporum naturae scrutatoris, auctoritas Hydram istam famosam polycephalam ¹⁾, in collectione quadam Hamburgensi servatam, monstrum artefactum, futile nulliusque pretii declarare potuit. Sed mirabilius dictu est, quod nostris etiam temporibus hic illic de Sirenibus s. Virginibus marinis, quarum pars anterior virginis formam, posterior vero piscis habere narratur, multa vere ridicula et plane insana et ficta sunt et relata. —

Haec omnia omittam, etsi quisque sibi persuasum habebit, saepissime ad talia animalia monstrosa et fictitia, qualia imaginandi vi procreantur, gignenda, alia, quae in rerum natura inveniuntur, in auxilium vocata esse; ita quidem, ut interdum plura animalia in unius formam coacta sint, quo prodigiosiora haud raro evaderent. Nemo autem negabit, tali modo catervas fabularum errorumque olim illatas esse Zoologiae, in quibus discutiendis et comprimendis etiam nunc versatur physicorum studium ²⁾. — ERRORES autem omnibus adeo temporibus saepissime apud Zoologos vulgares, quin apud peritissimos occurrunt. Sic, ut e magna illorum copia nonnulla tantum afferam exempla,

¹⁾ Vid. *Sebae* Thesaur. Tom. I. Tab. 102. Fig. 1.

²⁾ Cf. *J. Beckmann* de Historia naturali Veterum, Petropoli et Gotting. 1766. 8. (p. 159.)

LINNAEUS ipse pro animali Furiam suam infernalem, errore inductus, descripsit. Beatus SCHNEIDERUS, vir eximiae eruditionis, Ranam squamigeram, de qua WALBAUMIUS in Scriptis societatis naturae curiosorum Berolinensis ¹⁾ mentionem iniecit, recte e ranarum coetu delevit. Nil enim est nisi Rana (Hyla) boans, L., cujus corpus squamis lacertarum aut serpentium, quibuscum in lagena spiritu vini repleta antea conservabatur, obtectum fuit ²⁾. Idem vero SCHNEIDERUS ³⁾ ad Chamaesaurae suae bipedis (Anguis bipedis) speciem retulit amphibium, in museo olim Lampiano repertum et descriptum, a DAUDINIO ⁴⁾ Sepem Schneideri nominatum, quod nil aliud est, nisi pullus Anguis fragilis, modo in lucem editus, sacci vitellarii adhuc portione adhaerente, ut ipse Vratislaviae vidi. Aliud animal in Insula Stronsa, Orcadum una, ante plures annos observatum et captum atque in Societatis Wernerianae commentariis ⁵⁾ obiter tantum et modo intelligentioribus non satisfaciente descriptum, certissime observatorum incertitia delineatum est. Pedibus sex instructum fuisse et longitudinem habuisse quinquaginta quinque pedum traditur. Ossa hujus animalis nonnulla, in Museo universitatis Edinburgensis conservata, nos dubitare non sinunt, quin piscium classi annumerandum sit. EW. HOMIUS Squali speciem declaravit; OKENIUS illud ex genere Chimae-rae esse contendit. — Quae de magnis et enormibus serpentibus marinis, praesertim in mari Norwegico ⁶⁾, et in maribus Americanis observatis nuntiata sunt, maxima ex parte ad Cetaceorum species, Squalos, ad Scombrum Thynnium aliosque pisces majores referri possunt ⁷⁾.

¹⁾ Vol. V. p. 221.

²⁾ *Schneider Histor. Amphibior. Fasc. I. p. 168.*

³⁾ *Ibid. p. 214.*

⁴⁾ *Hist. natur. des Reptil. T. IV. p. 348.*

⁵⁾ Vol. I. p. 418. — *Okenii Isis. 1818. P. II. Fasc. XII. p. 2096. Tab. 26.*

⁶⁾ *Cf. J. Pontoppidan's Versuch einer natürlichen Historie von Norwegen. Thl. 2. Kopenhagen. 1754. 8. p. 368, sq., cum iconibus.*

⁷⁾ *Vid. Sam. Mitchill, de serpentibus marinis, in Silliman Americ. Journ. T. XV. p.*

Sed hactenus de illis animalibus et monstris, quae non sunt, quamvis multa adeo addere possem. Scopum propositum persequamur, eorum animalium singularium exempla afferentes, quae ab alma natura genita, attentionem et studium naturae curiosorum haud fugerunt.

Inter haec talia reperiuntur, qualia sine dubio multifarie, quod ad formam attinet, ad monstrosas illas bestias et fabulosas plus minusve accedere videntur, quae vel hoc vel illud organon praeter modum habent formatum, quorum aspectu PLINII dictum: *nil incredibile existimandum de natura*, omnino probatur, et quae habitu insigni atque mirabili, praesertim in hoc vel illo, ut jam monui, organo et corporis parte expresso, conjecturam saepius admittere possunt, excessu quodam naturae formatricis ea hoc modo procreata esse. Saepius nobis usus quidam talis partium formationis facile apparet, saepissime autem nos plane latet et latebit, saepius quoque, quamvis forma admodum singularis sit, nullam ejus suspicari possumus utilitatem, ita ut frustra interrogemus: Qua de causa? Cui bono?

Atque in universum notandum est formationis singularitates praesertim externe positas esse atque luxuriantes. Rarius enim organa interna participant, excepto quidem sceletio, ad formam animalium vertebratorum constituendam maxime idoneo, haud raro justum modum excedente. — Saepe etiam tales formationes in uno tantum sexu, plerumque masculino, reperiuntur maribusque ornamento quasi sunt. His corpus robustius, vis vitalis firmior, naturae formatricis efficacia profusior quam in sexu femineo ¹⁾. Interdum quoque

351. Quarterly Journ. Jan. — March. 1829. p. 207. Secundum *Mitchillium* etiam naves quaedam, Sea-serpent vocatae, quin etiam Anatis species, quae cum pullorum copia uno ordine in lacu, Ontario dicto, natans visa est, pro serpentibus marinis habitae sunt.

¹⁾ Documento sunt juba Leonis, cornua specierum plurimarum generis Cervi, pennae uropygiales splendidissimae Pavonis, rectrices duae longiores falciformes et calcaria Gallorum, cristae multarum avium, generis Basilisci inter amphibia cristae dor-

inter animalia, imprimis masculina, exempla existunt, quibus partes vel organa singularia, etiam luxuriantia, quae temporaria dicuntur, non per totam vitam manent, sed certis tantum anni temporibus apparent iterumque certis evanescent et desunt temporibus. Hae partes maxima ex parte cum organis sexualibus eorumque functione in conjunctione quadam versantur ¹⁾. — — —

P I S C E S.

Primum e *Piscium* classe observationes nonnullae proferendae sunt. Multos eorum memoratu quidem dignos obiter tantum, quia, quaecunque in iis singularia sint, pluribus tributa sunt, commemoro, v. g. pisces, quorum pinnae praesertim pectorales interdum enormem habent magnitudinem, ita ut avium volatum, quod penitus cum piscium pugnat natura, imitari velint: Exocetos dico volitantes, Triglam volitantem, Scorpaenam volitantem, Pegasus volantem; porro formam familiae Pleuronectarum (*Diprosopa*, LATREILLII ²⁾) planam, ita quidem, ut vel latus dextrum vel sinistrum in diversis speciebus superius sit atque coloratum. Totum eorum corpus, praesertim caput ejusque ossa, quae nuperrime cel. MECKELIUS ³⁾ accuratissime descripsit, asymmetrica sunt, et oculi in uno capitis latere, vel sinistro vel dextro: interdum in una adeo specie oculorum situs anomalus modo in sinistro, modo in

sales et caudales, radius pinnae ventralis in utroque latere ceteris multo longior et crassior, quocum coitum exercentes Rajae et Squali mares feminas amplectuntur (Halteres), cetera.

¹⁾ E. g. Cornua Cervorum, Tringae pugnaccis maris verrucae faciales et pennae longiores collares (*Halskragen*), cristae dorsales specierum quarundam Salamandarum aquaticarum, Tritonis v. g. cristati et taeniati, cet.

²⁾ Latreille, Familles naturelles du règne animal, Paris. 1825. 8 p. 126.

³⁾ Anatomisch-physiologische Beobachtungen und Untersuchungen, Halle. 1822. 8. p. 271. sq.

dextro latere observatur. Plura piscium genera adeo tam habitu quam forma a plurimis valde recedunt et multas horribiles interdum aspectu ostendunt peculiaritates, ad quae referri queunt v. g. Rajae ⁴⁾ et Torpedines, Chi-maerae, Gasterobranchi (qui tantam cum vermibus similitudinem corporis exterioris habent, ut summus LINNAEUS in horum eos posuerit classe), Balis-tae, Ostracia, Chaetodontes, Diodontes, Tetrodotes, Lophiorum familia, imprimis Lophius piscatorius genusque Chironectes, quorum corpus atque caput appendicibus apparet singularibus ¹⁾, Lophobranchiatorum ordo, ut Syngnathorum genus, familia Silurorum, quorum os cirris sive tentaculis longioribus plerumque circumdatum est, Scorpaenae, Triglae, Centrisci, multaque alia piscium genera. Non est hujus loci, horum generum formas fusius et accuratius illustrare; quam autem haud silentio praeterire pos-sum observationem, ea est, quod inter pisces plurimae omnium vertebra-torum animalium, quod ad corporis structuram, attinet, reperiuntur diversitates, ita ut naturae formatricis in hac animantium classe modus vel magis dubius et luxurians, nondum tam stabilitus atque firmus, quam in Amphibiis, in Avibus praesertim, atque etiam in Mammalibus fuisse videatur. — Pisces nullo modo in serie continua collocari possunt, prae-sertim si structuram respicias internam. Meo igitur iudicio ²⁾ in series duas ad mi-nimum dividendi sunt, ita ut pisces cartilaginei alteram, ossei alteram constitue-re queant. Quod ad habitum externum, duas etiam in iis formas principales, de-pressam atque compressam, distinxerim, quum nunquam vel rarissime forma

⁴⁾ Inter Rajarum familiam imprimis genera „Cephalopterus“ et „Myliobatis“ nominata, valde peculiarem singularemque ostendunt habitum.

¹⁾ Lophius piscatorius in capitis parte anteriore radios nonnullos longiores gerit pecu-
liares, tenues, osseos, quorum anterior appendice vermiformi instructus est, muscu-
lorum multorum ope mobiles, organa ad piscatum servientia et commoda; cf. Bailly,
Description des filets pêcheurs de la Baudroie. Annales des Scienc. natur. Tom. II.
Par. 1824. p. 323. sq. Tab. 16. —

²⁾ Cf. F. S. Leuckart, Versuch einer naturgemässen Eintheilung der Helminthen,

plane cylindrica occurrat. — Ex utraque serie ut recenseam pauca exempla, ante omnia inter cartilagineos pisces memorandum esse censeo Squalum Zygaenam, L., nobis omnibus notissimum, cujus corpus omnino corpori aliorum Squalorum simile, caput vero tam singulare est et ab omnibus piscibus adeo discrepat, ut mallei formam transversam imitetur, quare ei nomen *Hammerfisch*, poisson marteau, recte tributum. Vere anomalum et monstrosum piscis ille ostendit typum. Cui etiam, hoc respectu, ignotum est summi inter Germanos poetae carmen egregium, quo versus cecinit sequentes:

*Schwarz wimmelten da, in grausem Gemisch,
Zu scheusslichen Klumpen geballt,
Der stachlichte Roche, der Klippenfisch,
Des Hammers gräuliche Ungestalt. —*

Quam ob rem forma tam prodigiosa huic piscium speciei, quae aliquot habet cognatas ¹⁾, a natura data sit, prorsus non intelligo. Fortassis ea in hoc pisce Rajarum adhuc formam planam atque latam imitari voluit, sed caput tantum depressit atque extendit. — Inter Squalorum Familiae species aliquot alia occurrit nisus formativi proprietas, ubi pars capitis anterior eximie producta, depressa et in utroque latere dentibus satis grandibus armata est, quo modo magnam serrae similitudinem ostendit (*Sägefisch*), ut in Squalo Pristi, in Squalo cirrato ²⁾, qui hac serra, tertiam circiter corporis partem aequante, ferociter saepe cum aliis majoribus piscibus ipsisque Balaenis et Squalis maximis pugnât. Si dentes horum piscium maxillares accuratius investigare velis, eos a dentibus plurimorum Squalorum mag-

nebst dem Entwurfe einer Verwandschafts- und Stufenfolge der Thiere. Heidelb. 1827. 8. p. 53.

¹⁾ M. A. Valenciennes, sur le sous-genre Marteau, Zygaena. Mém. du Muséum etc. Tom. IX. 1822. Vme année. Cah. 3. p. 222. sq. Quatuor hic specierum descriptionem auctor dedit. Hae species sunt: Zygaena Malleus, Z. Tudes, Z. Tiburo et Z. Blochii. —

²⁾ Genus *Pristis*, naturae scrutatorum recentiorum.

nis et acutis diversos esse observabis; minutissimi enim sunt atque obtusi, et dentium illorum serram formantium praesentia, horumque quasi sumptibus, tali modo neglecti diminutique videntur. Cornubus serra illa haud plane absimilis, quae ramorum loco, ut in cervis reperiuntur, dentibus armata est. Arma non absimilia genus *Xiphiae* (*Schwerdtfisch*), v. c. *Xiphias Gladius*, habet, ita quidem, ut ejus ossa maxillaria et intermaxillaria valde protensa evadant ensisque quasi praebeant formam. Similem maxillae superioris ensem protentum in *Scombro Gladio* (*Schwerdtmakrele*) observamus ¹⁾. In genere *Rhynchobdellae*, SCHNEID. (*Macrognaethes*, *Lacp.*) nonnullae quoque species mirum in modum maxillam superiorem productam, inferiorem autem habent brevissimam. Inter *Esoces* v. g., reperiuntur species ²⁾, subgeneri *Microstomatum* et *Hemi-Ramphi Cuv.* accensendae, quarum maxilla e contrario inferior multo longior est superiore. Quod denique ad maxillarum inter pisces formam memorabilem attinet, sine dubio a nullo alio *Spatularia* ³⁾ sive *Polyodon Folium* ⁴⁾, piscis in Ohio et Mississippi fluminibus degens superatur, maxilla superiore elongata, ensiformi, corporis longitudinem fere aequante, in cujus latus utrumque membrana lata, vasculosa est expansa, ita quidem, ut haec elongatio arboris folio haud absimilis fiat. Causam equidem sane nescio. Singulare forsitan tactus organon est. In Guianae rivis vivit piscis, cui naturae curiosi recentiores nomen dederunt *Anablepis tetraphthalmi*, qui oculo-

¹⁾ *Blochii* Naturgeschichte der Fische. Tab. 345. (Gen. *Istiophorus*, *Lacp.*, Subgenus *Xiphiarum*, *Cuv.*).

²⁾ E. c. *Esox brasiliensis*, cujus icon. vid. in *Blochii* Naturgesch. d. Fische. Tab. 391.

³⁾ Nomen „*Spatularia*“ jam prius Fungorum generi tributum est. Vid. cel. *Persoon*, Synops. method Fungorum. Part. II. Gotting. 1801. p. 610. — Recentissimis temporibus *Auguste de Geoffroy St. Hilaire*, per Brasiliam peregrinator celeberrimus, inter plantas ex ordine *Violacearum* novum plantarum genus iterum nomine *Spatulariae* recepit. Cf. Mém. du Muséum etc. T. XI. 1824. p. 491.

⁴⁾ Icon. vid. *G. Shaw*, General Zoology. Vol. V. P. II. Pisces. Lond. 1804. Tab. 156. *Blochii* Systema Ichthyologiae. Berol. 1801. 8. Tab. 62. F. 1. Cf. etiam *Dr. Mitchell*, in *Silliman Americ. Journ.* Vol. XII. No. 2. Jun. 1827. p. 201, sq. c. icone. —

rum structura ab omnibus ceteris animalibus vertebratis longe discrepat. Quae quum talis sit ut, secundum CAMPERUM, LACEPEDIUM, BLOCHIIUM, cornea et iris fasciis divisae sint eoque modo duas corneas duasque irides repraesentent, tamen omnia alia oculorum organa simplicia tantum reperiuntur. Quae structura secundum cel. MECKELII observationem ingeniosam ¹⁾ de oculis insectorum compositis nos admonere videtur. Quis non novit pisces illos notatu dignos, quibus genus *Echeneis* (*Schiffhalter*) constitutum est? Omnium huc referendarum specierum caput supra scuto ²⁾ plano et elliptico, transverse lamellato et sulcato, est instructum, cujus ope illae aliis piscibus, rupibus navibusque se arcte applicare suguendoque affigere possunt; quod olim originem dedit fabulae, has bestias navibus, ipsisque maximis, quae celerimo etiam cursu per mare feruntur, moram parare posse. Praeterea sunt pisces, quorum caput cornibus vel similibus quibusdam partibus etiam instructum est, quae iis horribilem interdum praebent speciem. Huc referendi sunt v. g. *Ostracion cornutus*, *quadricornis* et *tricornis*, *Acanthurus unicornis*, *Silurus militaris*, *Cottus quadricornis*, *Chaetodon unicornis* et *bicornis*, alii. — Generis *Myliobatis* species in cauda unum vel duos habent aculeos longos, utrinque serratos, quos piscatores venenatos esse contendunt. Aliorum piscium corpus hic illic excrescentibus s. appendicibus insignibus ac mollibus ornatum est, ut v. c. in *Scorpaena volitante* et anten-

¹⁾ Cf. *Meckelii Archiv.* Tom. IV. 1818 p. 124. *Meckelius* contendit, corneam non esse duplicem. De structura oculorum hujus piscis vid. etiam *W. Soemmerring*, de Oculorum hominis animaliumque sectione horizontali commentatio. Gotting. 1818. fol. p. 68. cum icone in Tab. III. *Anablepis* figura mediocris reperitur in *Blochii Naturgeschichte der Fische.* Tab. 361. —

²⁾ Cel. *de Blainville*, sur la structure et l'analogie de la plaque dorso-céphalique des Rémoras ou Echénéis. *Journ. de Physique.* Tom. 95. 1822. p. 132., discum illum pro parte pinnae dorsalis anteriore, singulari modo mutata, habet. At mea quidem ex sententia peculiare dici potest organon. — Iconem hujus organi accuratiorem *Ev. Homius* dedit in *Lectures on comparative Anatomy etc.* Vol. IV. Tab. LXXX, F. 3.

nata videmus, multisque aliis piscium speciebus; ramosis v. g. in *Baliste penicilligero* PERONII ¹⁾, *Syngnatho ramuloso* LEACHII ²⁾; foliaceis in *Syngnatho foliato* SHAWII ³⁾, qui pisces, aequae ac tot alia maris pacifici ejusque terrarum animalia confirmant, has praesertim regiones singularibus inter animantes formis abundare. Aliae appendices insolitae in genere „*Polynemus*“ dicto reperiuntur filiformes, in corporis parte inferiore ante pinnas positae pectorales. In utroque corporis latere *Triglarum* similes videbis tres appendices digitiformes prope atque ante pinnas pectorales, radiis pinnarum comparandas, quae cel. TIEDEMANNUS partim organa motoria, partim ad tactus sensum pertinentia declaravit ⁴⁾. *Platystacus cotylephorus* ⁵⁾, singulare, quantum scio, inter pisces exemplum, in ventre multa parva acetabula petiolata habet, quae, monente BLOCHIO ⁶⁾, similia sunt *Cephalopodum* acetabulis s. cotyledonibus ut a naturae scrutatoribus appellantur; vel etiam tentaculis s. pediculis, quae in corpore multorum *Echinodermatum*, *Holothuriarum*, *Echinorum*, *Asteriarum* observantur. — Squamarum in piscibus structura maxima ex parte una eademque est, in pluribus tamen, *Diodontibus* v. g., in aculeos mutata horridos, quaemadmodum in mammalium speciebus nonnullis, e. c. in *Hystrice*, *Erinaceo*, *Tachyglosso*, aliis, pili in aculeos mutantur; rarissime ossea reperitur, uti v. g. in *Ostraciis*, atque etiam in *Esoce* (*Lepisosteo*, *Lacp.*) osseo, in *Polyptero Bichir*, *Geoffr.* quorum squamae lapidosae fere dici possunt. Maxime autem varia ac singulari forma plurium piscium pinnae inter se differunt. Sic v. c. in *Baliste*

¹⁾ *Cuvier*, Règne animal. Edit. II. Tab. XI. Fig. 3.

²⁾ *Zoological Miscellany*, etc. Vol. I. Lond. 1814. 8. Tab. XLVII.

³⁾ *General Zoology*. Vol. V. P. II. p. 456. Tab. 180.

⁴⁾ *Meckel's Archiv f. Physiol.* Tom. II. 1816. p. 103, sq. Tab. II. F. 5. 6.

⁵⁾ *Bloch*, *Naturgesch. d. Fische*. Tab. 372.

⁶⁾ *Ibid.* Tom. VIII. p. 55.

Monocerote, in Bal. geographico, Cuv.¹⁾, in Bal. spinosissimo et Ayraud, Quoy et Gaim.²⁾, prima pinna dorsalis ex una solummodo constat spina longa, arcuata, sine membrana, prope caput posita, quo fit, ut cornu esse videatur; alio modo Polyptero Bichir, Geoffr.³⁾, pisci in Nilo viventi, multae sunt pinnulae dorsales, circiter sedecim, (quia quaevis spina, adnexa membrana instructa, separata observatur), sine dubio pinna una tantum dorsali dilapsa illae quidem ortae. Si pinnarum piscium ventralium spectes formam, nullam magis singularem quam Gymnetri Hawkenii, Bloch⁴⁾ (Gymn. Blochiani, Shaw⁵⁾), reperies; quum quatuor adsint, ita ut in longa fila, apicibus tantum dilatatis, pinnaeformibus, quae quidem nullum fere habere possunt usum, mutatae sint. In alia hujus generis specie, in Gymnetro Ascanii, Shaw⁶⁾, duas solummodo pinnas ventrales similiter formatas habes et in Gymnetro Russeliano, Shaw⁷⁾, pinnae illae filis duobus longis tenuissimis repraesentantur. Atque etiam in genere „Trichopus“ a cel. Shawio nominato⁸⁾, pinnae ventrales in filamenta longa producuntur. In Cyprino macrophthalmio, Bl. et Cypr. quadrilobato, Lacp. pinna caudalis magna, adeo quadrilobata reperitur. Mirabiliorem formam autem haec pinna in Fistularia et in Stylephoro chordato, Shaw⁹⁾ conspiciendam praebet, in

¹⁾ Cuvier, Règne anim. Tab. XI. F. 2.

²⁾ Freycinet, Voyage autour du monde. Zoologie. Planches. Fol. Tab. 45. f. 3. et Tab. 47. f. 2.

³⁾ V. Annal. du Musée. Tom. I. Paris 1802. p. 57, sq. Pl. V. Description de l' Egypte. Zoologie. Poissons du Nil. Tab. III.

⁴⁾ Bloch, l. l. Tab. 423.

⁵⁾ Shaw, l. l. Vol. IV. P. 2. p. 197. Tab. 29.

⁶⁾ Ibid. Tab. 27.

⁷⁾ Ibid. Tab. 28.

⁸⁾ Ibid. p. 388. Tab. 55.

⁹⁾ Shawius, qui primus huncce descripsit piscem (Gener. Zool. Vol. IV. P. 1. p. 86. Tab. 11.), monstri magis quam piscis dedit descriptionem et iconem; capite omni

quibus e cauda media longum, quin longissimum ideoque tenuissimum prodit filum, quod beati GOETHII sententiam¹⁾: „*der Schwanz kann eigentlich nur als eine Andeutung der Unendlichkeit organischer Existenzen angesehen werden*“, probare fere posset, modo ea omnino probari possit. Caudam enim, ubi in vertebratis animalibus exstat, nil nisi alteram extremitatem, saepissime maxime necessariam habendam, esse conseo. — Quod ad structuram piscium internam, sunt, qui tali insignes reperiantur, quali nullum aliud animal gaudet; exemplo sint praesertim electrici qui dicuntur; qui organis singularibus fruuntur, quorum ope magnam vim electricam vel potius galvanicam exercent, Gymnotum dico electricum, Malapterurum electricum omnesque generis Torpedinis species²⁾. — Hactenus de miro ac peculiari quodam piscium habitu. Jam reliquas perlustrantes classes citius earum formas hic memoratu dignas expedire poterimus.

A M P H I B I A.

Amphibiorum classis formas perlustrans primarias, multo maiorem earum similitudinem proportionemque habitus magis congruam reperies, quamvis non negandum sit, in eorum etiam structura plures deprehendi peculiaritates saepe mirificas. Omnis Testudinum ordo, qui omnem fere

modo singulari huiusque partibus depravatis, oculis pediculatis, cet. Exemplum descriptum et in Collegio chirurgico Londinensi servatum postea doctiss. *Blainvillius* vidit, qui mox verum huius animalis habitum agnovit atque accurate observavit, caput plane e situ suo tractum et in altum erectum esse. Cf. Note sur le *Stylephorus chordatus*, *Sh.*, in *Journal de Phys.* Tom. 87. 1818. p. 68, cum icone, rectam capitis atque veram monstrante formam, *Syngnathis* haud absimili. Hic piscis a genere *Trichiurorum* non remotus.

¹⁾ v. *Goethe*, zur Naturwissenschaft überhaupt, besonders zur Morphologie. Tom. 1. Fasc. 2. 1820. p. 155.

²⁾ *Comp. Geoffroy*, in *Annal. du Mus.* T. I. 1802. p. 392. sq. c. icon. — *H. Steffens*, über die electrischen Fische. Frankf. a. M. 1818. 8. — *Rudolphi*, in Ab-

ossium massam praegravantem in externa protrusit, peculiarem quendam ostendit habitum. Jam vero singulare naturae formatricis luxuriantis si indicatum velis exemplum, *Chelys fimbriata* s. *Matamata*¹⁾ nominanda erit, Americae meridionalis aquarum dulcium incola, quae in capitis et colli utroque latere appendicibus cutaneis propriis, fimbriatis, distincta est, cujusque nares in proboscidis speciem (quod in *Trionychum* genere simili modo occurrit) extensae sunt. Genera *Siren* et *Proteus*, amphibia ichthyoidea dipnoa, vere peculiaria, nunc nobis notissima, tam branchiis externis quam pulmonibus sed imperfectioribus instructa, amphibiorum agmen ita claudunt, ut, utrum his ipsis an piscibus annumeranda sint, primo aspectu dubium videri possit. Sed illis multo similiores sunt, atque observationibus, quas nonnullorum naturae curiosorum diligentiae debemus, testantibus, in statu larvarum Salamandarum per totam perseverant vitam. Inter Ranas prae ceteris nos maxime advertunt *Rana cornuta*²⁾ et *Rana Pipa*³⁾, animal satis nobis notum. Illa, quia palpebra superior ita a forma recedit, ut in longiorem apicem conicum, tutelae oculorum sine dubio inservientem, producta, oculis apertis animalis speciem cornuti⁴⁾ tribuat: haec, *Rana Pipa*, ab omnibus aliis ranis plane diversa, quia femina-

handl. d. Königl. Akad. d. Wissensch. zu Berlin. J. 1820 u. 21. Phys. Klasse. S. 223, sq. c. ic. — v. *Olfers*, die Gattung *Torpedo*. m. 3. Taf. Berlin. 1831. 4. — *Rhinobati electrici*, *Trichiuri indici* et *Tetrodontis electrici* vis electrica valde suspecta atque dubia est.

¹⁾ Cf. *J. de Spix*, *Animalia nova s. species novae Testudinum et Ranarum*, quas in itinere per Brasiliam collegit et descripsit. Monachii. 1824. 4. maj. p. 15. Tab. XI.

²⁾ Haec species cum cognatis nonnullis novum format genus, „*Ceratophrys*“ a cel. *Bojeo* nominatum.

³⁾ Genus *Pipa* naturae scrutatorum recentiorum.

⁴⁾ Cf. *Tilesius*, de *Rana cornuta*, in *Magazin d. Gesellsch. naturforschender Freunde zu Berlin*. Jahrg. III. Quart. 2. 1809. p. 83. Tab. 3.

rum dorsum cellulosum ovorum fert receptacula, in quibus, ovis depositis, pulli excluduntur et per aliquod tempus conservantur; qua ratione haud inepte illa cum mammalibus e Didelphidum s. Marsupialium tribu comparari potest. — Serpentes, omnes fere inter se similes, vix aliquid memoratu dignum ostendunt, exceptis Crotalis, quorum cauda extrema crepitaculo corneo articulado instructa est ¹⁾; Vipera Ceraste, veteribus jam notissima, quae in utroque oculo squamam elatam, cornu forma conspicuam, gerit ²⁾; Vipera nasicorni, quae in naso duo fert cornua exigua; Erpeto tentaculato et Caecilia illa, vermibus propemodum accedente, tentaculata, cujus utriusque rostrum tentaculis binis, in illo squamatis, in hacce glabris, instructum est. Egregium observamus transitum a serpentibus ad Lacertarum s. Saurorum ordinem, praesertim si, exceptis aliis etiam organis, extremitatum evolutionem persequimur. Quae, ut scimus, in Angue fragili a rudimentis scapulae et pelvis, in quibusdam aliis serpentum generibus, v. g. Bois, Pythonibus, a pedum posteriorum incipitur initiis, atque per Sepes, Bimanos, Chalcides, al., quorum species diversae, pedibus imperfectioribus instructae, singularem interdum ostendunt habitum, ad Scincos et Lacertas proprie sic dictas gradatim proceditur. Inter extraordinarias e Saurorum ordine bestias prae ceteris nominari debet Chamaeleontum genus, tam mira colorum cutis mutatione ³⁾ insigne quam oculorum structura multisque aliis proprietatibus, v. g. cauda prehensili, ut in mammalium speciebus nonnullis, aut pedibus scansoriis, qui avium scansorum pedibus haud absimiles sunt. Oculi eorum

¹⁾ Cel. *Rudolphius* (Grundriss der Physiologie. Tom. II. Divis. 1. 1823. p. 368) ingeniose hoc crepitaculum cum peculiari illa appendice caudali cornea *Dicliduri albi* s. *Freireissii*, novo *Vespertilionum* ab illustrissimo *Principi Neovidensi* detecto et descripto (Abbildungen z. Naturgesch. Brasiliens. Liefer. 1. Weimar, 1822. fol. Tab. III.) genere, comparavit. —

²⁾ Pluria hujus *Viperæ* vidi exempla non cornuta.

³⁾ Cf. *J. van der Hoeven*, Icones ad illustrandas coloris mutationes in *Chamaeleonte*. Lugd. Batav. 1831. 4.

ita mobiles sunt, ut uterque diversissimis eodem tempore directionibus moveri possit. Et in hoc genere species alio etiam modo insignis, *Chamaeleon bifidus* s. *bifurcatus*¹⁾, occurrit; cujus caput cornigerum est. Quis unquam est, quin de Basiliscis fabulas historiasque audierit portentosas! Nunc hoc nomine lacertarum genus innoxium quidem, quamvis mire formatum, cognitum est, cujus species et dorsum et caudam habent cristata et inter quarum cristas et piscium pinnas dorsales magna analogia intercedit. In Basilisco mitrato praeterea occipitium ita formatum est et elongatum, ut mitrae formam imitetur. Nova Hollandia inter plures lacertas formis insolitis insignes unam praesertim alit, quae antea *Lacerta platyura* vocata, nunc a cel. CUVIERO *Phyllurus Novae Hollandiae*²⁾ optime dicitur, quia cauda magna et depressa, corporeque depresso multo latior, speciem folii cordati refert. A qua formatione *Geckonis fimbriati*³⁾ cauda non discrepat. *Gecko* (s. *Ascalabotes*) *Caudiverbera*⁴⁾ quoque peculiarem caudae speciem praebet, depresso-planam nempe, pinnatifidam, apice spatulatam, ad natandum sine dubio non inutilem. Certissime nostrum omnium, dum pueri eramus, Dracones visu horribiles phantasiam atque imaginandi vim movebant. Zoologiae autem studium hoc nomine nobis innocentissimas, quas TIEDEMANNUS noster accuratius descripsit, ostendit bestiolas, quae tantopere ab omnibus aliis differunt amphibiiis, ut, vel uti pisces volantes, avium volatum imitari conentur; qua ratione hypochondrorum cutis, in qua plures costae spuriae sunt extensae, summa alarum forma, expansa est, ita ut hac tantum formatione ab aliis lacertis, imprimis *Iguanis* et *Anoliis*, deflectant. —

¹⁾ *Daudin*, Hist. natur. des Reptiles. Tom. IV. p. 217. Tab. 54.

²⁾ *Shaw*, Gener. Zool. Vol. III. P. 1. Tab. 65. Fig. mediocr.

³⁾ *Lacépède*, Hist. natur. des Quadrup. ovip. etc. Tom. 1. Par. 1788. 4. p. 425. Tab. 30.

⁴⁾ *Sebae* Thesaur. Tom. II. Tab. 203. Fig. 2.

A V E S.

Jam ad *Aves* progrediamur, quibus inter omnia animantia, ni fallor, habitus maxime congruus typusque maxime sibi constans. Quare paucas tantum ad nostrum consilium respicientes recenseamus. Genus forma peculiari maxime opinor insigne Aptenodytarum¹⁾, mare pacificum inprimis inhabitantium, illud est, quod infimum inter aves occupat locum. Ubi praesertim alarum structura de testudinum marinarum pedibus pinniformibus aperte nos admonet, quum impennes ferme sint, pennulis squamaeformibus consitae, pedes vero brevissimi et tali modo parti posticae inserti, ut, si terram petant, non nisi corpore erecto procedere possint. Habitu alarum, quamvis pennis instructarum, imperfecto neque ad volatum apto insignes Struthiones et Casuarii utuntur. Casuario indico etiam caput cornutum est et pennae plures corneorum aculeorum speciem habent. Palamedea cornuta etiam cornu capite longius et tenue in fronte gerit. Nonnullae aliae praeterea aves, v. c. Crax Pauxi, Philedon corniculatus, cornigerae sunt. Nullum vero aliud animal caput cornutum specie tam singulari accepit quam aliquot Bucerotum generis species, ex quo Buceros Rhinoceros praeter ceteris nominandus est, cujus rostrum et cornu frontale magnitudine ita enormi sunt, ut corporis magnitudinem fere aequent, et, quod mirum est, organis respiratoriis ex parte annumeranda sint, quippe eximia cellularum aëriferarum copia repleta. Natura aliis etiam excrescentibus, cornuum, ni fallor, ad instar, multas aves, inprimis mares, ornavit, ad quas cartilagineae et carnae capitis cristae et prominentiae, quales in Numida Meleagride, Vulture (Sarcorampho) Grypho, Penelope Satyra, Phasiano Gallo (Gallo Banckiva cet.), Meleagride Gallopavone et aliis inveniuntur, referri possunt. In multis avibus pennas huic vel illi loco insertas, praeter mo-

¹⁾ R. Forster, in Commentat. Societ. Scient. Gotting. Vol. III. 1781. 4. p. 121, sq. c. icon. —

dum observamus formatas. Nil dicam de iis, quae longissimas in fasciculis collocatas capitis cristas formant, nil de Strygum plurium aliarumque avium, v. c. Trochili bilophi, *Temm.*, Podargi cornuti, *Horsf.* pennis, auricularum ad instar capiti innatis; nil de caudae pennis rectricibus vel pennis uropygialibus, quae interdum modum excedunt, ut in *Maenura superba*, in pulcherrimis *Pavonibus*, aliis. Nonnulla alia singularia proferam. Sic *Tetraonis Cupidinis* collum in utroque latere habet pennas ceteris multo majores, quas pallioli instar portat, quod simili modo in aliis quoque nonnullis avibus, in *Trochilis* quibusdam, v. c. *Troch. chalybeo*, *Vieill.*, cet. occurrit. — *Cephaloptero ornato*, *Geoffr.* in gula longiorum pennarum copia pendet; at *Casmarhinchus variegatus*, *Temm.* gulam longis appendicibus carnosus, vermiformibus, quae tamen maribus tantum propriae sunt, distinctam habet. *Caprimulgo longipenni*, *SHAW*, avi africanae, valde insignis obtigit species, una penna alarum acquisita, quae aliis pennis remigibus multo, corporeque duplo longior, cujus scapus fere ad apicem usque nudus et in apice tantum radiis brevioribus instructus est. Inter caudae pennas s. rectrices, duae, interdum quoque plures, reperiuntur pennae eximiae longitudinis, quae saepius, ut in *Emberiza paradisea*, *Ember. longicauda*, *Coracia abyssinica*, *Cor. Senega*, *Caprimulgo psaluro*, *Az.*, aliis, marium ornamenta sunt. Observantur etiam duae longissimae pennae caudales in *Phaëtonte aethereo*, qui hanc ob causam a Gallis „paille en queue“ nominatur, in *Muscicapa psalura*, *Tem.*, in generis *Pteroclis* speciebus nonnullis, aliisque. Species singulares generis *Paradiseae* partim in capite, partim in alis et cauda pennas nonnullas habent longissimas, vel tenuissimas interdum, saepe filiformes et setaceas. *Anastomo lamelligero*, *Tem.*, rarissima et peculiaris pennarum colli, corporis atque crurum forma laminosa est, quam *cel. TEMMINCKIUS* his accuratius descripsit verbis: „Lames cartilagineuses, grandes, noires et très-luisantes, qui servent de prolongement aux baguettes de toutes les plumes du cou, du ventre et des cuisses. La nature de ces plumes est la même que celle qu’ on observe dans les plumes

du Coq Sonnerat, et ressemblent aux prolongemens cornés dont quelques plumes du Jaseur d' Europe sont terminées ¹⁾.“ Moneo denique de Meleagridae Gallopavone, cujus pectori fasciculus pilorum, equinis pilis similium, maris tantum signum et character, inhaeret, qui quem in usum adsit, me plane latet. Quod ad rostri habitum, Plataleae praesertim rostrum longum insigne, quod cochlearis formam imitatur. Rhynchopis rostrum cultriforme ita formatum est, ut, quod in piscibus nonnullis jam vidimus, maxilla inferior superiore multo longior evadat. —

M A M M A L I A.

Postremo de nonnullis tantum, ut commentatiunculae nostrae finem imponamus, *Mammalium* formis mentio injicienda est. Quis crederet, Balae-narum aliorumque Cetorum pisciformium species, marium illos quidem praesertim glacialium colosseos gigantes, in mammalium numero ponendas esse, nisi mammis instructae essent aliorumque mammalium structuram haberent internam? Quis ignorat genera insignia Manium, Chlamaeophori et Tatu s. Dasypodis quae primo aspectu haud absimilia videntur Testudinibus atque Lacertis? Quid de Ornithorhyncho, Novae Hollandiae incola, anatis rostro multisque aliis peculiaritatibus valde insigni, dicam, in quem, nisi accurate descriptus esset, quisque fere similia illis fabulis de Gryphis, cadere putaret? Bestia vere paradoxa est. Didelphides s. Marsupialia, praesertim insulas maris pacifici et Americam inhabitantes, multis peculiaritatibus, praesertim vero sacco abdominali externo, utero quasi secundario, in quo diu post partum vel pullos alunt, insignes sunt. Mirabilem tegumentorum

¹⁾ Vid. C. J. Temminck et Meiffren Laugier, Nouveau Recueil de Planches coloriées d' Oiseaux, etc. etc. Paris et Amsterd. 4. Livrais. 40. (1823) Tab. 236. — In hoc opere splendidissimo multarum avium, de quibus hîc mentionem feci, reperiuntur effigies.

externorum expansionem plura ostendunt mammalia, volantia quae dicuntur, genera Pteromys, Petaurus, Galeopithecus, inprimis autem illa more avium volitantia, quibus Chiropterorum ordo constat. Inter Chiroptera prae ceteris jam nominanda sunt genera Megaderma, Phyllostoma, Rhinolophus, quorum nasus appendicibus membranaceis, ut acutissimus Chiropterorum tactus sensus in his adeo augeatur, partim foliaceis, partim ferum equinum aemulantibus, distinctus est. — Castor Fiber, in Germania rarissime adhuc degens, caudae tam memorabilem ostendit formam squamosam pisciformem, ut totum fere animal partim piscis, partim mammale dici possit. Omnes admiramur Elephantis speciem, terrestrem illum inter bestias colossum, in quo praesertim nasus cum labio superiore tam prodigiose productus tamque monstrose formatus est, ut proboscis dicatur, qua eadem ut manu validissimoque telo utitur. Notatu dignum est, quod haec nasi forma in aliis quoque mammalibus, ut in Tapiro, in Suibus, in Mygalis, in genere Sorice, Talpa, in Phocae leoninae s. proboscideae mare, in genere Nasua, in Vespertilione Nasone, aliis, adumbrata reperitur. Rarius quoque similis proboscidis forma in monstris suillis atque etiam in ipsis humanis, *per excessum quendam orta*, occurrit. In Condylura cristata, Desmar.¹⁾, unico, ni fallor, inter mammalia exemplo, nares multis circumdatae sunt cirris, qui, sine dubio, ad tactus organa, piscium tentaculorum ad instar, referri possunt. Modo prodigioso Phocae (Cystophorae borealis, Nils.) cristatae, maris, formatum est caput, cujus nasus externus in magnam bullam membranoso-musculosam mutatus conspicitur. Quae bulla aëris sufficientem recipere potest copiam, ita ut illud animal etiam aqua submersum tali apparatu et ope spirandi per aliquod tempus facultatem habeat.²⁾ Jam antea saepius de animalibus cornutis locutus sum.

¹⁾ Vid. Desmarest, Mammalogie ou Description des espèces des Mammifères. Par. 1820. 4. Tab. IV. F. 7.

²⁾ Cf. W. Rappii descriptionem hujus organi accuratam in Meckelii Archiv. Fasc. III. An. 1829. p. 236, sq. Tab. VII.

Hac quoque in classe eorum multa, in Ruminantibus quidem et Rhinocerotibus, deprehenduntur, quae omnibus nota sunt. Id tamen moneam, omnia cornua, etsi in pluribus animalibus utilitatis cujusdam gratia adsunt, tamen in universum organis, ut videtur, excessu quodam, si dicere liceat, naturae formatricis procreatis, in unoquoque animali et in ipso homine, quando occurrant, annumeranda esse. In Camelopardalis Giraffae mare tria videbis cornua ¹⁾, quorum impar, antérieur et brevius, suturae frontali, duo altera longiora et posteriora autem suturae coronali insident. Inter Antilopas duae detectae sunt species indicae quadricornes, Antilope quadricornis, *Blainv.* et Ant. Chikara, *Hardw.* ²⁾ (Gen. Tetracerus, LEACH). Varietas Caprae Ovis polycerata in Islandia imprimis hospitatur, cujus caput quatuor adeoque sex ornatum est cornubus, quae, quod omnibus patet, aberratione quadam atque excessu naturae sunt producta. Quin etiam dentes quorundam mammalium exempla luxuriantis praebent naturae formatricis. Sic v. g. in Monodonte, in Sue Babyrussa, in Phascochoeris et Elephantibus mirum in modum exserti reperiuntur ferocibusque sunt similes armis. Camelorum tubera dorsalia, e massa densa adiposa formata, Bovisque Tauri, var. indicae (Zebu) tuber dorsale carnosum, quis primo intuitu normali modo orta esse credat? Statu mansuefacto et cultura forsán tumoribus talibus sensim sensimque animalia illa gibbera facta sunt, quod idem cel. BUFFONIUS ³⁾ aliique conjiciebant. Simili modo, ni fallor, cauda enormis pinguissima varietatis Caprae Ovis laticaudatae et steatopygae orta est. — Inter Simiarum coetum una exstat, Simia rostrata *Bl.* (*Cercopithecus nasicus*), in qua vel hominum nasus, typo quasi anticipante formatus est, quo caput hujus

¹⁾ Vid. *Rüppell*, Atlas zu der Reise im nördl. Africa. Zoologie. Fascic. III. fol. (Frankf. a. M. 1827.) Tab. VIII. et Tab. IX. Fig. a. p. 23, sq.

²⁾ Hist. natur. des Mammifères, par *Geoffroy et Fr. Cuvier*. Fasc. 44. Tab.

³⁾ Allgemeine Historie der Natur u. s. w. Vol. VI. Pars. 1. p. 129.

non simae Simiae singularem praebet speciem¹⁾. Verisimiliter tamen ille ad eam referendus formam, quae proboscis vocatur. Quid! quod Simiarum africanarum nonnullarum nates tam enormi sunt magnitudine, ut certissime nimio et modum superante harum partium nisu formativo exstiterint? Quis autem existimet, inter homines etiam similem formationis peculiaritatem inveniri? Attamen invenitur: nam in sexu sequiore populorum illorum Africam meridionalem inhabitantium, Hottentottarum et Bosjesmanorum, plures peregrinatores, LE VAILLANTIUS, BARROWIUS, LICHTENSTEINIUS, PERONIUS, alii eandem observarunt; affirmante etiam CUVIERO²⁾, qui feminam Hottentottam Parisiis, ubi, nomine Veneris Hottentottae notata, per aliquod tempus vivebat, dissecuit. Mira certe affinitas. Quot aliae quoque affinitates inter homines et simias! Quis est, qui illas comparans non eam ad sententiam adducatur, homines, quod ad corporis formam attinet, nil nisi simias altioris gradus majorisque esse evolutionis, quibus, ut acerrimus ille nequitiae Romanorum castigator, egregius JUVENALIS³⁾ cantat, *meliore luto finxit praecordia Titan!* — Cel. CUVIERUS⁴⁾ etiam contendit, velamentum s. subligaculum (*Schürze*) Hottentottarum illud pudendorum naturale, nym-

¹⁾ Blumenbach, Abbildungen naturhistor. Gegenstände. Fasc. II. Tab. 13.

²⁾ Vid. Mémoires du Muséum d' Hist. natur. T. III. p. 259, sq. Recusum in opere splendidissimo: Hist. natur. des Mammifères, par Geoffroy St. Hilaire et Fr. Cuvier. fol. T. I. Fasc. XX. c. 2. icon. — Transl. in Meckelii Archiv. T. V. p. 153, sq.

³⁾ Satyra XIV. v. 35.

⁴⁾ Vide locos modo laud. — Cf. etiam de hac nympharum prolongatione Sommer-villium in Medic. chirurg. Transact. Vol. VII. P. 1. p. 154, sq. Transl. in Meckelii Archiv. T. V. p. 159, sq. — Secundum cel. Peronii observationem (v. ejusd. Entdeckungsreise nach den Südländern; fortges. von L. Freycinet. Uebers. v. Haus-leutner. Tom. II. Stuttg. 1819. 4. p. 260.) velamentum illud sic dictum nunquam in feminis Hottentottis, sed semper in feminis Boschesmanorum s. Huzuanarum occurrit, neque etiam e prolongatione nympharum ortum est, sed illi regioni proprium est organon. —

phas dico internas justo longiores redditas, non arte sed naturae singulari excessu et aberratione ortum esse. — —

Haec de formis hujusmodi insignibus. Quis autem est, qui harum aspectu non sponte exclamet, naturam ejusque opera immensa esse, earumque causas saepissime erui haud posse! Quis est, qui vel talia animalia, tam miraculose singulariterque formata, adspiciens, regii illius Psalmistae effatum: „*Quam magnifica sunt Tua opera!*“ non affirmet, numenque aeternum pie adorans, summi ARISTOTELIS sententiam non probet: Οὐ δ' ἔνεκα συνέστηκεν ἡ γέγονε τέλους, τὴν τοῦ καλοῦ χώραν εἴληφεν. — —

*Es ist das ewig Eine,
Das sich vielfach offenbart:
Klein das Grosse, gross das Kleine;
Alles nach der eignen Art.*

GOETHE.